

Cam. c. 820. 22  
N

Lucasian Professorship.


DEED OF FOUNDATION

AND

GRANT

OF

KING CHARLES II.



## DEED OF FOUNDATION.

---

OMNIBUS Christi fidelibus ad quos hoc presens  
scriptum pervenerit ROBERTUS RAWORTH de Grayes  
Inn in Comitatu Middlesexia Armiger et THOMAS BUCK  
de Cantabrigiâ in comitatu Cantabrigiæ Armiger, Execu-  
tores ultimi Testamenti dignissimi Viri, HENRICI LUCAS  
de London Armigeri, nuper defuncti, Salutem in Domino-  
Sempiternam. Sciatis, quod cum prædictus venerabilis et  
consultus vir Henricus Lucas Armiger ex propenso suo in  
Academiam Cantabrigensem, et in rem literariam affectu a  
præfatis Roberto Raworth, et Thomâ Buck, Executoribus  
suis, terras comparari ad valorem centum librarum annuatim  
supremo testamento mandaverit, in annum Professoris,  
seu Lectoris Mathematicarum Scientiarum in dictâ Aca-  
demî stipendium vel salarium perpetuâ cessuras, sub  
eiusmodi constitutionibus et regulis, quas Executores sui,  
adhibito Procancellarii et Praefectorum Collegiis dictæ  
Academiæ consilio, tam honori magni istius corporis,  
quam hujusce literaturæ, omni hactenus præmio destitutæ,  
incremento ac promotioni judicaverint summopere ac-  
commodatas; Nos prædicti Executores, pro ratione fidei  
nobis commissæ de exequendâ præclari Benefactoris  
voluntate solicii, rogato prius et impetrato dictorum  
Procancellarii et Praefectorum consilio, habitoque ad id  
consilium præcipuo respectu, ordinationes infra scriptas,  
promovendis istis studiis Mathematicis, uti arbitramur,

apprimè conduceentes, approbamus, omniq[ue] per dictum  
Henrici Lucas testamentum nobis concessâ authoritate  
ratas volumus et declaramus.

Itaque statuimus imprimis et ordinamus, quod per-  
petuis futuris temporibus quicquid annui redditûs (deductis  
necessariis expensis) ex prænotatis terris ad usum præ-  
dictum acquisitis vel acquirendis quâcunque justâ ratione  
accreverit, id integrè cedet in subsidium et præmium  
Professoris Mathematici, modo infra dicendo, et sub con-  
ditionibus mox exprimendis electi, et constituti.

Quod officium attinet dicti Professoris Mathematici,  
ut horum studiorum, quâ publicè, quâ privatim, ex-  
colendorum ratio habeatur, volumus et statuimus ut  
dictus Professor teneatur singulis intra uniuscujusque  
termini Academicî spatium septimanis semel ad minus  
aliquam Geometricæ, Arithmeticæ, Astronomiæ, Geo-  
graphiæ, Opticæ, Staticæ, aut alterius alicujus Mathe-  
maticæ disciplinæ partem (pro suo arbitratu, nisi aliter  
expedire Procancellario visum fuerit) per unius circiter  
horæ spatium legere atque exponere, loco et tempore a  
Procancellario assignandi, sub poenâ quadraginta solidorum  
pro singulâ lectione omissâ, ex stipendio ipsi debito per  
Procancellarium subtrahendorum, et Bibliothecæ Aca-  
demicæ, pro coëmendis libris, vel instrumentis Mathe-  
maticis, applicandorum; nisi ex gravi corporis infirmitate  
officio suo satisfacere non poterit. Tamen excusationem  
nolumus ultra tres septimanas valere, ut nisi elapsis tribus  
septimanis alium substituat idoneum Lectorem, Pro-  
cancellarii judicio approbandum, sciat sibi pro qualibet  
lectione prætermissâ viginti solidos de stipendio suo per  
Procancellarium subtrahendos, et usui prædicto appli-  
candos. Quod autem dictus Professor ad munus hoc  
legendi non perfunctoriè præstandum efficacius astringatur,  
præstiti fideliter ab ipso officii certius extet indicium, et  
studiorum præsentium fructus quadantenus etiam ad  
posteros servetur, statuimus ut dictus Professor semel

quotannis; proximè ante festum Sancti Michaelis non pauciorum quam decem ex illis quas præcedente anno publicè habuerit, Lectionum exemplaria nitidè descripta Procancellario exhibeat, in publicis Academiæ archivis servanda; quod si ante tempus præscriptum facere neglexerit, eo usque careat stipendio suo, donec officium det, et quanta fuerit rata portio temporis postea elapsi, usque dum id perfecerit, tantam Redditū sui vel salarii anni partem Procancellario teneatur exsolve, Bibliothecæ Academicæ ad usus prædictos applicandam. Quinetiam decernimus, ut dictus Professor teneatur duobus per singulas cujusque termini hebdomadas a Procancellario præstituendas diebus, unoque extra terminum die, quandounque dictus Professor in Academiâ præsens fuerit, per duas horas itidem præfigendas omnibus illum consulturis vacare, liberum adeuntibus, aperto cubiculo accessum præbere, circa propositas ipsi quæstiones, et difficultates haud gravatè respondere; in eum finem globos et alia idonea instrumenta Mathematica penes se in promptu habere. Inque omnibus ad illud propositum spectantibus studiorum pro suâ virili conatus adjuvare: quorum aliquod si ultro neglexerit, corripiatur a Procancellario, et si de neglecto officio sæpius admonitus neutiquam se emendaverit, pœnam incurrat intolerabilis negligentiae ulterius decretam.

Porrò ut horum observatio fortius muniatur, et ne quis ex dicti Professoris absentia oboriatur neglectus, statuimus ne dictus Professor intra præfinita terminorum intervalla Academiâ excedat, aut alibi extra Academiam per sex dies continuos moretur, nisi gravissimâ de causâ per Procancellarium approbandâ, idque petitâ prius et impetratâ a Procancellario veniâ: sin fecerit secus, quanta fuerit rata portio temporis ab egressu suo præterlapsi, tantâ salarii sui parte penitus excidat. Quod si forte diutioris ab Academiâ absentia, quæ dimidiū termini spatium excedat, causa acciderit necessaria, Procancellarii,

et duorum (qui Collegiorum Praefecti fuerint) seniorum Doctorum judicio approbata, aliquem interea idoneum substituat, qui suo loco legat, et reliquis muniis fungatur modo supradicto, et sub poenâ consimili.

Quinimò pari causâ, ne dictus Professor ab officii sui debitâ executione distrahatur, nolumus omnino et prohibemus, ut is ulla quâvis Ecclesiasticâ promotione gaudeat, quæ animarum sibi curam adnexam habeat, aut residentiam exigat hisce statutis adversantem; sub poenâ amissionis, ipso facto, omnis Juris, quod in hac sua professione prætendere valeat.

Quoad personam vero et qualitatem Mathematici Professoris, volumus et injungimus, ut qui huic provinciæ admovetur, sit vir bonæ famæ, et conversationis honestæ, ad minimum Magister Artium, probè eruditus, et Mathematicorum præsertim scientiarum peritiæ instructus. Ejus autem nominandi, et eligendi jus ac potestas esto penes nos prædictos Executores venerabilis viri Henrici Lucas, durante nostrâ utriusque vitâ, aut uno supremum diem obeunte, penes alterum e nobis, qui in vitâ superstes permanserit. Postea vero perpetuis futuris temporibus ejus eligendi plena potestas sit penes Procancellarium, et Praefectos omnium Collegiorum dictæ Academiæ, vel illam partem Praefectorum, qui electioni interfuerint, et peragatur tunc electio in hunc modum. Postquam Mathematici Professoris locum quâcunque ex causâ vacare contigerit, Procancellario incumbet quam cito fieri poterit, schedulâ scholarum publicarum ostio per octo dies continuos affixâ, cum de dictâ vacatione, tum de tempore ad futuram electionem destinato significare (tempus autem electionis ultra trigesimum a primâ significatione diem extrahi nolumus) quo tempore dicti electores publicis in scholis in unum congregati juramento semetipsos obstringant, seposito omni privato respectu, affectuque sinistro, se nominaturos, et suo comprobaturos suffragio quem, conscientiâ teste, ex petitoribus, (vel ex iis qui ab

7

electorum quolibet nominantur) maximè secundum prænotatas qualitates idoneum censuerint ad id munus obeendum; is vero, in quem plura suffragia conspiraverint, pro electo habeatur: quod si duobus forte vel pluribus paria obvenerint suffragia, Procancellario jus erit unum ex illis, qui aliis (si quando id contigerit) plura et inter se paria suffragia obtinuerint, pro suo arbitrio eligendi. Electus autem proximo opportuno tempore admittatur a Procancellario, præstito ante admissionem juramento se munus Professoris Mathematici a dignissimo viro Henrico Lucas in hâc Academiâ institutum juxta ordinatioenes et Statuta officium suum concernentia, pro suo posse fideliter executurum. Denique, quo prædictus Professor intra debitos honestatis atque modestiæ limites contineatur, neque de ullâ criminum ultro admissorum impunitate præsumat, statuimus ac decernimus, ut si dictus Professor convictus fuerit vel propriâ confessione, vel per testes idoneos, vel per evidentiam facti de crimine aliquo graviore (puta de læsa Majestate, haeresi, schismate, homicidio voluntario, furto notabili, adulterio, foruicatione, perjurio) vel si intolerabiliter negligens fuerit, neque pœnis superius expressis poterit emendari, per Procancellarium, et Collegiorum Præfectos (vel majorem eorum partem) a suâ amoveatur Professione, sine spe regrediendi, aut commodum aliquod ulterius percipiendi. Quod si senio, morbo diuturno, aut incurabili impotentiâ, seu debilitate corporis vel animi fractus, suæ Professioni (modo et formâ prædictis) perficiendæ non sufficerit, abrogetur ei Professio per Procancellarium, et dictos Præfectos (vel majorum eorum partem) hoc tantum adhibito moderamine, ut illi (sic a Professionis munere non suâ culpâ dimisso) si tempore Professionis suæ laudabiliter se gesserit, neque alias ipse de proprio ad valorem centum librarum annuatim provisum fuerit, tertia pars stipendii remaneat usque ad mortem suam; reliquis partibus successor sit tantisper contentus, integrum post ejus mortem

percepturus. In cuius rei testimonium nos præfati  
Robertus Raworth et Thomas Buck sigilla nostra præ-  
sentibus apposuimus. Dat. 19 die Decembris Anno  
Regni Domini nostri Caroli Secundi Dei gratiâ Angliæ,  
Scotiæ, Franciæ, et Hiberniæ, Regis, Fidei Defensoris &c.  
decimo quinto, Annoque Domini 1663.

## GRANT OF KING CHARLES II.

---

CAROLUS Secundus Dei gratiâ Anglie, Scotie, Franciae, et Hiberniae Rex, Fidei Defensor &c. Omnibus et singulis has literas visuris-salutem. Cùm per dilectos nostros ROBERTUM RAWORTH, et THOMAM BUCK Armigeros Executores ultimæ voluntatis consulti viri HENRICI LUCAS Armigeri nuper defuncti innotuerit nobis dictum HENRICUM LUCAS in rei literariae beneficium Professoris Mathematici munus in Academia nostra Cantabrigiensi instituisse; nec non dictis iisdem Executtoribus suis, adhibito Procancellarii et Præfectorum Collegiis dictæ Academiæ consilio, quæ ad dicti muneris commodam constitutionem, ac executionem debitam sibi ex usu viderentur, ordinandi curam commendâsse: Et cùm dicti executores pro ratione fidei sibi commissæ, rogato priùs et impetrato prædictorum Procancellarii, et Præfectorum consilio, ordinationes quasdam fecerint eò conducentes, quas à nobis suppliciter oraverint authoritate nostra regiâ stabilitas iri et ratificatas. Item cùm dicti Executores de prædicto munere ulteriùs bene mereri studentes, juxta consilium prædictorum, Procancellarii et Præfectorum, per sanctionem quoque nostram Regiant dicti Professoris lectionibus publice habendis certos ex Academicis auditores assignari; ab Electoribus dicti Professoris et ab Electo Professore juramentum exigendi potestatem fieri; dicto Professori, si Collegii cuiusvis

socius fuerit, sodalitii sui una cum dicto Professoris loco retinendi privilegium indulgeri; et si ante susceptum hoc munus socius non fuerit, ut postea in socium eligi possit, facultatem concedi; eundemque deinde Professorem à muneribus quibusdam publicis obeundis eximi ac prohiberi à nobis itidem supplices efflagitaverint; Nos dictæ Academiæ commodo juxta ac studiorum profectui consultum cupientes, dictorumque votis Executorum benignè annuentes, imprimis ordinationes istas à predictis Executoribus confectas Regiâ nostrâ potestate sancimus, et confirmamus, iisque omnibus et singulis plenum obsequium deberi atque præstari volumus et mandamus. Item lectionum, quas secundum ordinationes predictas Professor Mathematicus habere tenet, auditores esse volumus non-graduatos omnes post annum secundum, et Artium Baccalaureos omnes usque ad annum tertium sub eadem poena, cui per statuta Academica obnoxii sunt à reliquis publicis Lecturis absentes. Quinetiam Procancellario potestatem impertimus juramentum exigendi et administrandi tam illis, qui per dictas ordinationes eligendi jus obtinent, quam Professori electo et mox admittendo, juxta sensus in dictis ordinationibus expressos, atque prescriptos. Porrò volumus et statuimus, ut dictus Professor eligi possit in socium cujusvis collegii non vetante professione suâ; et nè is sodalitio suo, si quod ante susceptum hoc munus obtinuit, aut postea obtinebit, vel ullis sodalitii sui emolumentis aut privilegiis eo tantum nomine, seu causâ privetur, quovis cujuscunque collegii statuto non obstante. Volumus denique et prohibemus, ut predictus Professor Decani, Thesaurarii, Seneschalli, aut Lectoris cujusvis in suo collegio munus capessat, aut ut inibi Tutorem se gerat (nisi Nobilium fortè vel generosorum sociis commensalium) vel ut Procuratoris, Taxatoris, aut alterius cujuslibet lectoris publicum in Academia officium sustineat, sub pena amissionis ipso facto omnis juris, quod in hac sua professione prætendere

valeat. Quapropter et dictum Professorem ab omnibus  
et singulis muneribus istis prædictis liberatum volumus et  
exemptum. In cuius rei testimonium has literas nostras  
fieri fecimus patentes. Teste meipso apud Westmonas-  
terium decimo octavo die Januarii, Anno regni nostri  
decimo quinto.

Per breve de privato sigillo,

HASTINGS.

